



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus XIII. De Communione... & Evangelio S. Joannis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

propriam non habuerint, dicitur Præfatio de tempore vel Octava infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari alioquin Præfatio communis.

Si infra Octavam quæ habet Præfationem propriam dicenda est Missa de feria 4 temporum aut Vigilia, non alia dicitur Præfatio quam communis; excipe Vigiliis Paschæ, Ascensionis & Pentecostes, & Missas Lytaniarum quæ Præfationem habent vel Paschalem vel Pentecostalem.

Ibi. In Missis defunctorum quocumque tempore semper dicitur Præfatio communis. Nota hic casus, quibus separari debeat Communicantes à sua Præfatione. Nam infra Octavam Ascensionis, si occurrat festum Ss. Philippi & Jacobi Præfatio erit de Apostolis, Communicantes de Ascensione, licet in Missa de Ascensione nulla fiat Commemoratio. Idemque accidere potest in Inventione S. Crucis, & in Missis votivis: unde si infra Octavam Ascensionis cantaretur votiva v. g. de Spiritu sancto, Communicantes erit de Ascensione. Ratio est, quia Communicantes habet infra illam Octavam quasi rationem de tempore, sicut etiam haberet Præfatio de Octava, in prædictis festis vel votivis, si propriam Præfationem non haberent.

TITULUS XIII.

De Communionem et Evangelio S. Joannis.

N. 2. **I**N Vigiliis, quæ occurrunt in Quadragesima vel Quatuor temporibus non legitur Evangelium Vigilia in fine Missæ, quia nec in Officio lectum est, ideo neque in fine Missæ legitur. Ibid. Et similiter in Missis votivis nunquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis. Quando in Dominica 4ta occurrit Vigilia Nativitatis Domini, Evangelium Dominicæ non legitur in fine Missæ.